



Universitätsbibliothek Paderborn

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicacionem Pagina
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Jesus Passus Per Centuriam
Modorum Meditandi passionem Salvatoris nostri illustratus; cui
accesserunt Meditationes In Passionem Domini XLVI. - Juxta numerum
dierum Quadragesimæ

Družbicki, Kaspar

Ingolstadii, 1732

VD18 90066405

40. Considerando Selectos Jesu Christi Dolores externos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45427

significatione non prosequimur, verum
omni genere ingratiſſimæ malitiæ, maliti-
maque ingratiſſimæ, perpetuò, paſſim, &
que, & omnes deſpicimus, deſpuimus, con-
camus. O quis ſapiens: & intelliget hac

MODUS XL.

Quadrageſimus Meditandi Paſſionem
Modus eſt: Aſſumere inſigniores
Dolores externos: quos eſſi unusquiſque
proprio ſenſu non difficulter ſeligere po-
ego tamen, quos mea fert opinio fuiſſe
excellentes, exponam: & quidem nullam
adhibitâ (ſecus quam in proximo modo
explicatione aut exaggeratione. Cùm
iſti dolores externi ſint, & ſenſui pateant
eſt difficilè cuiſvis eorum excellentiam
propriâ meditatione: ut proinde explicatio
perflua futura eſſe videatur.

Primus ergo Dolor Chriſti externus
gnior præ aliis fuit, Agon ille totus in
qui ad eò durum præludium fuit Paſſionis,
Paſſioni æquivaluerit, & ſudoris ſanguine
tas decurrentes in terram ex toto Chriſti
pore expreſſerit. Certè, ſi de ſola triſtitia
non dubitavit Dominus aſſerere, eam eſſe
nem inferendæ ſibi morti: longè id de tota
Paſſionis futuræ rudimento magis aſſerere
potuit.

Secundus Dolor Chriſti externus fuit
gnis, Carcer ille nocturnus in Caiaphæ
geſtaque per totam illam noctem: quorum
initium narrâſſent Evangeliftæ: quemadmodum

postquam omnes condemnauerunt eum esse reum mortis, tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt, & velauerunt eum & percutiebant, & alapis eum cadebant, & palmas in faciem eius dederunt, & interrogabant eum dicentes, Prophetisa nobis Christe, quis est, qui te percussit? reliquum tandem nocturnorum dolorum & probrorum, aliorumque gestorum in compendium redigens unus eorum concludit: Et alia multa blasphemantes dicebant in eum. Ut minimè mirum sit, nullius pii scriptoris, aut meditatoris parem esse cogitatum hisce nocturnis Christi injuriis & doloribus explicandis, in quibus explicandis, ipsius Sancti Evangelistæ calamus, videtur defecisse.

Tertius Christi externus dolor maximè insignis fuit. Denudatio ad flagella, & flagellatio ipsa. Denudationem suam volens exprimere Dominus, quàm sibi fuerit onerosa: usus est per Prophetam illo loquendi modo: *Operuit confusio faciem meam.* Non ait, se confusum pudore, & verecundiâ affectum, sed omnem veluti confusionem, quæ uspiam fuisset aut esse posset, in suam: tunc faciem convolasse, & præ enormitate erubescentiæ eam omnino operuisse. Eandem confusionem exprimit idem Propheta ex sensu Christi dicens. *Tota die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me.* Quibus verbis eandem Passionem suam, quam ex nuditate perpeffus est gravissimam, declaravit. Non absimilem sensum flagellationis suæ enormissimæ, per eundem Prophetam sapius declaravit Dominus noster; nunc quidem dicendo: *Congregata sunt super me flagella, & ignoravi*

Ps. 68. 8.

Ps. 43. 16.

Ps. 34. 15.

G. Druze
Bicki
Oper: ascel
Tomus III
N: V
58

ravi. Ubi mirificè flagellationis suæ diritatem expressit, adducens in medium, flagellorum multitudinem, seu congregationem super se: si enim multa flagella, sine dubio & multi flagellantes, & longè magis multa ipsa flagellatio: nunc verò dicendo: *Et fui flagellatus totâ die, & castigatio mea in matutinis.* Quâ voce, nihil exaggeratius dici videtur posse.

Pf. 72. 14.

Non enim Dominus totâ die à mane flagellatus legitur, sed tanta fuisse tamque enormis illa flagellatio significatur, qualis esset illa, si quis totâ die à summo manè flagellatus fuisset. Nec minor est illa ejusdem diritatis in flagellatione expressio, quâ dicit

Pf. 128. 3.

Dominus: *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam.* Alia lectio habet, *araverunt, & sulcum suum produxerunt.* Ut enim fabri super incudem ferrum tundunt sine ullo metu, ut aratores sulcos trahunt per agrum, ita impii vulnera super Christum.

Quartus Immanis Dolor fuit Externus Christi, à Corona Spinea, quæ ad intimas usque Capitis partes, aculeos suos plures adactos habuit, & cum semel imposita, aut potius infixâ fuisset, nequaquam ita permansit, sed iterum iterumque detracta & imposita est, cum multiplici vulnerum dolorumque innovatione. Accessit spineo sermo, purpura, arundo, consputatio, colaphorum impactio, genuflexio, & irrisio; quibus omnibus dolor dolori additus, & contumelia omnimodis exaggerata est.

Quintus Immanis quoque Dolor Christi fuit externus, Mora, seu, Trihorium in Cruce: quo toto tempore agonisavit Christus, & universa membra ejus, sedibus suis evulsa sunt, pe-

ctus

etus verò cum costis suis, ita distractum disten-
tumque, ut hunc unum solumque pectoris in
Cruce convulsi dolorem, quisquis debite aliqua
ex parte considerarit, fuisse præ omnibus gra-
vissimum, atque maximè dirum, & intoleran-
dum necessariò affirmaturus sit.

Sextus, Dolor Christi externus insignis fuit
à venenatissimarum linguarum aculeis, quibus
intima & extima Christi depasti sunt inimici ejus,
insultantes ei verbis, quando jam verberibus
non potuerunt, ut dicere potuerit Dominus JE-
sus hostibus suis illud: *Invaluerunt super me*
verba vestra, dicit Dominus. Et dixistis: quid
locuti sumus contra te? dixistis. Vanus est qui ser-
vit Deo: & quod emolumentum quia custodivimus
præcepta ejus, & quia ambulavimus tristes coram
Domino exercituum? Ergo nunc beatos dicimus
arrogantes, siquidem edificati sunt facientes impie-
tatem, & tentaverunt Deum, & salvi facti sunt.
Quid enim minus ab his dixerunt illi qui dixe-
runt. *Confidit in Deo, liberet nunc si vult eum.*
Christus Rex Israël, descendat nunc de Cruce, & cre-
dimus ei. Dixit enim quia Filius Dei sum.

*Mal. 3. 12.**Marc. 15.**Matt. 27.*

Septimò. Ad insigniores Dolores Christi ex-
ternos, pertinuit quoque Detractio ultima ve-
stium Christi ad Crucem affigendi; vestes enim
ad faucium plurimis in locis Corpus adhæferant,
ita, ut avelli à crucifixuris Christum, cum ingenti
carnificina, cumque avulsione partium adhæ-
rescentes sanctissimæ & oblæsæ carnis, cum mul-
ta sanguinis effusione debuerint: per quod &
renovatus dolor, & vulnera dilatata necessariò
fuerint in Christo. Hujus Doloris enormita-
tem ipsa cujusque non dico experientia, sed et-
iam

iam imaginatio, facile docere meditantem potest.

Ps. 68. 22. *Octavus* Dolor enormis Christi Exterior fuit. Potus in siti oblatus Christo, conflatus felle, myrrhâ, & aceto. Novercale revera poculum, de quo Dominus tantò ante per Prophetam conqueri non omisit, dicens. *Dederunt in escam meam fel: & in siti mea potaverunt me aceto.* Quomodo illud non sathanico majus odium fuit, quod homini ad extrema deducto (cujuscunque tandem conditionis fuerit ille,) homini inquam præ doloribus, & sanguinolentis vulneribus exhausto, animamque agenti, ac inter Crucis tormenta morienti, pro aquæ haustu, acetum porrigere, & extremum illud corporis miserrimè excarnificati membrum, fauces scilicet atque linguam, sitis ardore exustam, ultimo, & ad odii sui exsatisfactionem, ad invento poculo, cruciare? verè, *Fel Draconum, vinum eorum, venenum aspidum insanabile.*

Deut. 32. 33

Nonus Dolor externus Christi enormis fuit, à conspectu & orbitate Matris.

Decimus Dolor Externus fuit Christi à Morte Corporis, etenim cum summa violentia à Corpore illo dissolvebatur recedebatque anima: utpote quod optimè dispositum habebat, & quod diutissimo tempore informare naturali cursu debuerat. Utrumque hoc punctum, in præcedenti modo utcunque exaggeratum est, propterea hoc loco amplius nihil addo: sed campum meditatoribus piis suum relinquo.

MODUS